



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Sanctuarium Crucis Et Patientiae Crucifixorum Et Cruciferorum

Bivero, Pedro de

Antverpiæ, M.DC.XXXIV.

Sympathia Crucis Et Lectvli Passionis Et Ægritudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47616](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47616)



*Lectus doloris et mortis iustorum,
secundum mensuram Crucis.*

SYMPATHIA
CRUCIS ET LECTULI
PASSIONIS ET ÆGRITVDINIS.

Um sacra Crucifixorum imagines, quæ in SA-
CRO hoc SANCTUARIO proferuntur, Em-
blematicæ omnes sint ; indices status laboran-
tium & aegrotantium ; qui lecto doloris affi-
xi variis morbis auexantur & affliantur, præmonendi
sunt infirmi, quanta sit inter Crucem & lectulum mate-
ria, formæ, & finis paritas & similitudo.

Ex

Eadem
materia
Crucis &
lecti.

Ex eadem ligni materia *Crux* & *lectus* fabriunt.
Contempserant hanc materiam, in quos grauius inuehitur
Amos cap. 6. Væ qui opulenti estis in Sion, & Qui
separati estis in diem malum: & appropinquatis fo-
llo iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, &
lasciuitis in stratis vestris. Præstat in lecto legeo iacere:
ut, quoties in eo iaces, memineris primi lapsus, quem in
primo ligno fecisti; & simul Crucis Dominice, per quam in
ligno redemptionem inuenisti.

Eadem
forma.

Crux & *lectulus* in eadem forma conueniunt. *Crux* ita
construitur & componitur, ut, quisquis inheret *Cruci*, ca-
put erigat, corpus deprimat, extendat manus & brachia,
pedes colligat. Quotusquisque in lecto cubat, ad hanc for-
mam se componit; eleuat in altum caput, dimittit corpus,
explicat manus & brachia, pedes coniungit & copulat.
Cum S. Patriarcha Jacob in lecto suo moreretur, scriptum
de eo legimus Genes. 49. Collegit pedes suos super lectu-
lum, & obiit: appositusque est ad populum suum.
Hic idem ipse est, qui Genes. 47. vicinus iam morti, mortis
& vite Dominum veneratus in lecto est: Adorauit Israël
Deum, conuersus ad lectuli caput. Qualis hæc adora-
tio fuerit, scribit & describit Apostolus cap. II. ad Hebræos.
Fide Iacob, moriens, singulos filiorum Joseph bene-
dixit, & adorauit fastigium virgæ eius. Adorauit Cru-
cifixum lecto affixus, ad formam eius compositus dum ex-
tremè laboraret; & instar celestis auis quæ pedes contra-
hit,

hit, vt se sustollat in altum, collegit pedes suos super lectulum, & obiit, appositusq; est ad populum suum.

CruX & lectus in eundem finem, in eundem scopum ^{Idem finis.} collinunt. Hic lectuli finis est, vt cubantem in se hominem, somno ac quiete fruente, admittat & excipiat. Hic idem scopus sacratissima Crucis est. Rogat Ecclesia CHRISTVM: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, ^{Can. 1, 6.} vbi cubes in meridie. Tunc temporis CHRISTVS cubitum in Crucem iuit; & in Crucis lecto dormiuit. Ego, ^{psal. 3, 6.} inquit, dormiui, & soporatus sum. Somnum cepit & quietem, cum dixerit adhuc ipse: In pace in idipsum ^{psal. 4, 9.} dormiam & requiescam.

Quod si CruX & re & nomine cruciatum & tormentum ^{Eadem poena.} secum praefert; ne hoc ipsum desit lecto, positus in eo ager affligitur & torquetur. Huc pertinet quod asserit agrotus Jobus: Si dixerit: Confolabitur me lectulus ^{Iob 7, 23.} meus, & releuabor loquens mecum in strato meo; terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Adde commentarium Ambrosij cap. 2. de Interpellatione Job. Quid arumnosius, cum ipse lectus communem ad quietem datus, graue vulnus infligat? Tunc enim solemus, quod fecimus, recordari, & factorum stimulis compungitur interior conscientia. vnde & Scriptura ait: Quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Remedium quidem dedit, sed tamen conscientiam vulnerauit.

Consti-

Constitutus in lectulo suo David vulneratum se sentiebat & gemitus: *Labo aui*, inquit, in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. *Considerandum* hunc lectulum laboranti & agrotanti proponit Chrysostomus Orat. 1. de Lazaro: En ostendo tibi lectum beati David. Qualis igitur erat ille? Non argento & auro, sed vndique lacrymis & confusione exornatus. Hæc ipse fatetur de se loquens: Lauabo per singulas noctes lectum meum.

En ostendo tibi, *noue David*, lectum doloris, & simul honoris, secundum mensuram Crucis; ut cognoscas quanta sit paritas & equalitas inter Crucem passionis & lectulum aegritudinum, quæ spinarum instar pungunt. dicitque propterea Rex: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Ex acutissimis spinis fabricata est CHRISTI corona, & ex acutissimis morbis fabricatur gloriosum diadema infirmorum. Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit. Certa in Cruce, certa in lecto, cum Crucifixo & Crucifixis; quorum Emblematicæ imagines conditionis status tui & simul officij monebunt, & ostendent eam esse virtutem mirandam patientiæ, quam agens de eruditione Principum, describit S. Thomas: Patientia, inquit, malis omnibus dominatur, omnia seruiunt ei, etiam mors ipsa.

EM-